

serosum intra & extra calvariam defluere statuit: **EXTRA** calvariam quidem per subcutaneos Fernelianos ductus; **INTRA** verò per magnum occipitis foramen & spinalis medullæ nervorumque latera.

Verùm nimis secure & improvidè hi loquuntur. Adsignatæ viæ nimis longe sunt petitæ.

Fernelianum spacium suspectum est ideò, quia cutis vix ita laxari potest, ut tanta copia humorum à summò capitis vertice ad extremum pedis digitum tam celeriter possit delabi .2. Nihil probant symptomata, capitis gravitas cum pigritiâ, inclinatio ad somnum &c. quæ ipse omnia in omni podagrâ præsupponit; experientia enim crebra, ceu certa rerum magistra, testatur, non omnem hæc præcedere podagram. Et quamvis aliquando *caput* lædatur, non tamen sequitur, quòd à capite originem habeat, per consensum enim laborare potest. 3. postliminio dolorem ex influxu pituitosorum per arterias humorum excitatum calorem & ruborem novâ concitatâ fluxione accedere *μέγα λίαν αίτημα.*

A C E R E B R O qui influxionis pituitosæ fontem derivant, 1. descendunt in arenam dubiam cum illis, qui *μητρόπολιν τῶν δὲ τοῦ φλέγματος καὶ τῆς κολλώδους, principem hanc pituitæ & glutinosi sedem,* & propositas comparationes cum pluviis & destillationibus chemicis haut agnoscunt. 2. via per foramen occipitis non meretur applausum. 3. magnum occipitii & nervorum propagatorum foramina ossea circa nervorum ductum nervosque emittentia commeatum præbere nequeunt. Nam foramina illa occipitii & spinæ dorsii opplentur à ligamentis, & membranis adeò arctè, ut nihil admittere possint heterogenei. Id curiosè observavimus in demonstrationibus anatomicis excellent. atque experient. *D. Job. Arnold. Friderici, medic. Prof extraord. præceptoris ac patroni nostri plurimum honorandi* methodo syntheticâ & analyticâ summâ cum laude laboriosè propositis.

U T R A M Q U E qui eligit **V I A M**, Platerò etiam satisfactum putamus. Ordinario naturæ instituto nec per os cribrosum, nec sphenoidis seu *cuneiformis* foramina aut laterales ejus membranosos canales, multò minùs per magnum occipitii fo-